



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

2. Pueri indulgentius non habendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

dia. Id quod maximè observandum pueris, nisi velint Jambo puero similes fieri.

II. (b) Puer *Iambos* simul contumeliosus, simul blasphemus in Deam fuit. Quod crimen non semel in pueritia graviter punivit Deus. Constat è Dialogis S. Gregorij lib. 4. horrendo supplicio parvulum quinquennem affectum, quem ob dissolutionem linguæ, qua Dei nomen impijs execrationibus laceſſebat, tartarei spiritus, æthiopum specie aspectabiles, è gremio parentis avulsum, in orcum abripuerunt. Nec frustra terribili Alastores è sinu atque oculis paternis rapuerunt puerum. Ostenditur namque impietatem filij, ortum duxisse è nimia patris indulgentia; à quo blandius æquò fovetur inque sinu & oculis gestatus, æternis pabulum ignibus jam tum paratum, molliter ad inferos ferebatur. Debit os improbum maturè compeſci, & lupato disciplinæ frenari, ne lupis orcinis in prædam cederet; nimirum parentum culpa in filiorum supplicio plectitur. Exerit se primis ab annis indolis sive probitas, sive pravitas. Severius fortasse, salubriter tamen ad exemplum egerunt Areopagita Athenis Judices, qui puerum morte damnarunt, quod crudelius cornicis oculos, stylo confixisset. Timebant scilicet, ne ferox ingenium cum annis cresceret, & savitiam ab avibus in homines transferret: igitur malam herbam in radice opprimendam putarunt. Minores lapillos, hoc est, convitia cum puer in homines assueſcit jacere, paulatim grandiores mittet in Superos, quod ex Diogene paulò ante collegimus. Puer *Iambos* quanquam *effrons*, in fronte tamen indicem sui circumtulit; maculis eam pinxit Ceres, ut appareret in vultu, quid lateret in animo.

III. (c) In *stellionem* mutatus est *Iambos*, est enim hæc bestiola, symbolum pueri malitiosi, versuti, versipellis, mendacis, perversi, & ex asse nequam. Nam ob nequissimi hujus animalculi fraudem, malitiam, invidiamque obtinuit ulus, ut impostores & consuti dolis homines, *Stelliones* vocentur. Hinc *Stellatura* & *Stellionatus*, crimen IGris, cum in contractibus, aut mutuo, aut emptionibus, dolus malus intervenit: ut si quis merces supposuerit alias pro alijs, vel corruerit, aut imposturam fecerit, (quod crimen *falsi*, Germanis *Schelmerey* dicitur) cuique poena nulla ordinaria constituta, sed Prætoris arbitraria est, teste Ulpiano.

Est autem *Stellio* lacertæ species, qui quia ventre humum verrit, denotat

(b) Pueri indulgentius non habendi. (c) *Stellionis* natura cum nequam puero comparatur.